

## II.

Litterae invitatoriae eiusdem Eminentissimi Cardinalis de die 19. Febr. 1893.

### III.me Rev.me Domine.

Miraberis forsàn quod insertas Apostolicas Litteras mense decembri datas tam tarde tibi transmittam. Enimvero tantum nostra interest vocatui munificentissimi Patris illico et alacriter respondere, ut minime muneri meo, hucusque cunctando, satisfacisse videar.

Nullus attamen tibi erit mirationis locus, cum scias, me de magno pondere trepidum a Sanctissimo Domino rationabiles duorum mensium poposcisse inducias, tum ad tollendas senio laborantibus difficultates hiberni itineris, tum praecipue ut celebrare possem una cum grege mihi credito episcopale Summi Pontificis jubilaum. Hisce de causis data est mihi copia ab ipsomet Beatissimo Patre mittendi tibi, festissima hac die Ipsi sacra, nuntium de benedictione primi lapidis Collegii D. Anselmi, quae habebitur in Urbe dominica secunda post Pascha.

Non te fugit equidem quam gratum mihi hoc eveniat et quantam afferat voluptatem. Idcirco te magnopere oratum velim, ut pro maxima qua devincimur devotione Pontifici erga nos liberalissimo, praesto sis Romae tempore praefinito.

Ex ipsis Litteris Apostolicis perfacile erues, de quanta re agatur negotium et quanti sit momenti, Praesules omnes benedictinae sobolis illic adesse. Quatenus ergo aliquo afficiaris impedimento, cura alterum delegare ex tuis qui bene possit explere vicem.

De receptis meis litteris quaeso facias me certiozem; addendo etiam si quae habeas vel explicanda vel proponenda. Manebo Catanæ usque ad diem Paschæ, perrecturus Romam, Deo favente, postera die, ut promptus ibi inveniar ad Pontificis mandata, quoad potero, adimplenda.

Precibus tuis me meaque humiliter commendo.

Catanæ die XIX. februarii 1893.

Tibi addictissimus

† Joseph Benedictus Card. Dusmet,  
Archiep. Catan. O. S. B.